



IOANNES SAPIDVS PROFESSOR ARGENTINENSIS.
 Oannes natus est honestis parentibus Selesta-
 dij anno 1490. Ibi cum felici ingenio esset prædi-
 tus, in celeberrima schola Selestadiana præcepto-
 re Hieronymo Gebuuilero operam literis dedit,
 atq; prima rudimenta feliciter iecit, præsertim cum
 Beatus Rhenanus eius studia moderaretur. Po-
 stea sese Lutetiam Parisiorum contulit, atq; Beatū
 Rhenanum Aristotelis Oeconomica priuatim ex-
 ponentem audiuit. Publicè uerò Stapulensem &
 Iodocum Clichtoueum. Cum hoc modo omni ge-
 nere literarum atq; in primis Poëtices instructus
 esset, in patriam rediit, atq; Ludimoderator consti-
 tutus fuit. Eam functionē is summa laude obiuit,
 atq; optimos quoq; authores suis discipulis passim confluentibus enarrauit.
 Eo enim tempore Barbari scriptores è scholis explosi, atq; Sapidi consilio pu-
 riores literæ restitutæ fuerunt. Cum hoc modo egregie pergeret, atq; Euange-
 lij doctrina innotesceret, Ioannes amore religionis patriam reliquit, atq; Ar-
 gentinam ueniens inter bonarum artium professores receptus fuit. In ea urbe
 suis uirtutibus omnibus innotuit, atq; celeberrimę scholæ ornamento extitit.
 Scripsit is Comoëdiam Anabion seu Lazarum rediuiuū, atq; Argentinæ 1539
 edidit. Præterea uaria Epitaphia & Epigrammata. Multos etiam authores re-
 stituit, & emendatores publicauit. Cum hoc modo literis inuigilaret, atq; cun-
 ctis ueneranda canitie gratissimus esset, tandem anno circiter 1560 iam
 septuagenarius obiit, & Argentinæ honeste sepultus fuit.
 Anon.